

III. — Accessio mixta fit præsertim *plantatione* et *satione*. Dicitur « mixta, » quia natura et industria in hac convenient. Subjicitur iisdem regulis¹ quibus ædificatio².]

ARTICULUS III

De altero modo acquirendi dominia rerum quæ sunt alicujus, nimirum de præscriptione.

Nota. Dominia rerum quæ sunt alicujus, dupli modo acquiruntur, volente et nolente domino. Volente domino, ut donatione, testamento, venditione et aliis contractibus, de quibus specialiter et late suo loco. Nolente domino, et hoc tripliciter : 1^o jure gentium, ut res captæ in bello justo fiunt capientis; 2^o sententia judicis, ut dum fur damnatur ad quadruplum; 3^o autoritate legis, ut præscriptione, et de hac nunc versatur quæstio.

Dico 1^o : Præscriptio seu usucapio (pro eodem enim hic sumuntur), est « acquisitio dominii per continuatam possessionem, certo tempore a lege definito. »

Dico 2^o : Ad legitimam præscriptionem requiruntur quatuor conditiones : prima, possessio vera; secunda, titulus præsumptus; tertia, bona fides; quarta, tempus legitimum. Ita communiter. Expenduntur præfatæ conditiones.

Vera possessio.

Ita Regula juris 3^a in 6^o : « Sine possessione præscriptio non procedit. » Et patet, quia totum hoc jus oritur ex possessione. Et ideo in tantum aliquis præscribit aut præscribere potest, in quantum vere et proprie, hoc est, suo nomine possidet, et quidem *civiliter* saltem; nam possessio naturalis non sufficit, ut patet in colono qui pos-

1. S. Lig., lib. IV, n. 501, ex jure Rom.; Cod. Gall., art. 553-555. — 2. Marc, *Instit. Morales Alphons.*, n. 887-889.

sitet naturaliter, et tamen præscribere non potest. Naturalis et civilis simul optima est. Sufficit tamen sola civilis, qua quis absens rei suæ animo et facultate insistit; ideo enim partim civilis dicitur, quia hunc civilem effectum parit. Vide quæ dixi supra de possessione.

Titulus præsumptus.

Qualis est, v. g., emptio, donatio, aut quivis alius modus quo transfertur dominium. Dico, « præsumptus, » quia si esset verus, absque præscriptione transferret dominium. Sufficit ergo quod rationabiliter et bona fide credatur verus, ut si emas vel dono accipias ab eo qui reputatur rei dominus, et non est.

Cæterum, quamvis ad omnem præscriptionem inchoandam requiratur titulus, alioquin deficeret bona fides; item quamvis ad perficiendam præscriptionem quæ dicitur brevis et longi temporis, nimirum decem vel viginti annorum, requiratur allegatio et probatio tituli: convenient tamen communiter doctores, ad perficiendam eam quæ dicitur longissimi temporis, id est, triginta vel quadraginta annorum, regulariter non requiri probationem tituli, quippe qui tanto temporis spatio variis modis perire potuit.

Bona fides.

Ita Regula juris 2, in 6^o : « Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit¹. » Item c. *Vigilanti*, c. *Quoniam*, Cap. fin. *de Prescriptionibus*, Decretal., lib. II, tit. 26, ex concil. Later. sub Innoc. III, ubi corriguntur leges civiles, quæ videntur admittere præscriptionem triginta vel quadraginta annorum ut legitimam absque bona fide. Quamvis autem leges civiles non admittant præscriptionem malæ fidei in foro interiori quasi conferrent dominium, admittunt tamen in foro exteriori, in quantum rejiciunt actionem contra possessorem triginta vel quadraginta annorum, ne praetextu malæ fidei, legitimi et bonæ fidei

1. *Quodlib.* xii, a. 24, o.

possessores vexentur, siveque turbetur tranquillitas publica continua litibus.

Ita jus civile, L. *Si quis emptionis, c. de Præscript. l. 7, tit. 39, et Innocentius III, in cap. Adversus consules, Decretal. lib. III, de Immunitate Ecclesie.*

Potes 1^o utrum dubitans sitne res sua vel aliena, sit possessor bona fidei, possitque præscribere.

Resp. 1^o. Qui ante inchoatam possessionem dubitat sitne res sua an aliena, non est possessor bona fidei, nec potest præscribere. Ita communiter; quia non est ratio cur ille potius rem possideat quam alter, proindeque sibi vindicans, facit injuriam alteri et se exponit periculo usurpandi alienum.

Resp. 2^o. Qui post initam bona fide possessionem dubitat sitne res sua an aliena, si, facta diligentis inquisitione, non deprehendat esse alienam, probabilius remanet possessor bona fidei, potestque præscriptionem continuare. Ita Sylvester, Navarrus, Covarruvias, Sylvius, Pontas, V. *Prescription*, cas. 8, et communius contra Soto et aliquos recentiores.

Prob. 1^o. Juxta Regulam juris, « in dubio melior est conditio possidentis ¹. » Atqui hanc meliorem conditionem sic intelligunt omnia tribunalia tum civilia cum ecclesiastica, ut totum adjudicent possessori: isque est omnium hominum sensus, ut credant se tuta conscientia retinere quod sibi ratione possessionis adjudicatum est. Ergo. — 2^o Cum homines, ex una parte, rerum avidi, non soleant suas apud alios relinquere, sed diligenter eas custodian, et ex alia, vir probus non soleat acquirere possessionem alicujus rei absque justo titulo: hinc, quando in bonis fortunæ dubium independenter a possessione oritur utrinque æquale, ipsa possessio magnum

1. Regula juris 63 in 6^o: « In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis. » Ex qua fuit eruta regula citata: « In dubio, etc., » quia possidens est « in pari causa, » quantum ad dubium, cum alio ad quem forsan pertinet proprietas, et possessio ei suffragatur, quia presumitur jus facto concordare.

infert præsumptionem possessorem esse dominum rei quam possidet.

Igitur, quamvis possessor, in nostro casu, dubitet speculative sitne res sua an aliena, et an possit eam retinere; attamen ex duplice principio posito potest reflexe sibi formare judicium practice certum sic: 1^o Secundum jura, possessio bona fide inchoata est sufficiens ratio in dubio superveniente, ad rem sibi retinendam. Atqui possideo possessione cum bona fide inchoata. Ergo. 2^o In pari dubio probabilius est, ex ipsa possessione, possessorem in bonis fortunæ esse dominum rei quam possidet. Sed licitum est sequi id quod est probabilius. Ergo.

[*Potes* 2^o utrum bona fides theologica sufficiat ad præscribendum.

Resp. 1^o. Bona fides theologica non sufficit in præscriptionibus decem et viginti annorum. Ratio est, quia tota vis præscriptionis pendet a lege civili. Atqui bona fides theologica non sufficit coram lege civili in hujusmodi præscriptionibus. Etenim, tam in jure antiquo quam in jure novo diversarum gentium¹, requiruntur simul, in talibus præscriptionibus, bona fides et titulus justus, ita ut bona fides debeat esse non tantum theologica, sed etiam juridica. Ergo.

Resp. 2^o. Bona fides theologica sufficit in præscriptionibus triginta annorum. Ratio est, quia ubi invenitur bona fides theologica, adest quidquid lex et conscientia requirunt ut præscriptio sit valida. 1^o Adest quod a lege requiritur; lex enim neque bonam fidem juridicam neque titulum² exigit in præscriptionibus triginta annorum. 2^o Adest etiam quod a conscientia exigitur; nam, in easu, conscientia nihil requirit praeter quod a lege civili requiritur, scilicet bona fides, quæ evidenter debet esse theologica. Ergo.]

1. Cod. civ. Gall., art. 2265. — 2. Ibid., art. 2262.

Tempus legitimum.

Nota, respective ad præscriptionem multiplex tempus distingui in jure, breve, longum, longissimum et immemoriale. Breve est trium annorum. Longum est decem aut viginti annorum. Longissimum est triginta vel quadraginta annorum. Immemoriale, cuius non exstat memoria apud seniores.

Dico 1º : Res mobiles, sive privatorum, sive ecclesiarum (excepta Ecclesia Romana), cum titulo præscribuntur spatio trium annorum, sive inter absentes, sive inter præsentes.

Quantum ad res privatorum, habetur *Inst. de usucap.*, § 4 et c. *de usucap. transformanda*, L. *unica*.

Quantum ad res ecclesiasticas, habetur *Authent. Quas actiones*, c. *de Sacrosanctis ecclesiis*, ubi et causa 16, q. 3, cap. *Nemo*, excipiuntur generaliter res Ecclesiæ Romanæ, ad quarum præscriptionem requiruntur centum anni.

Excipiuntur etiam res furtivæ, quæ in cujuscumque manus perveniant, præscribi non possunt nisi spatio triginta annorum. *Inst. de usucap.*, § *Furtivæ*.

Dico 2º : Absque titulo res mobiles, sive privatorum, sive Ecclesiæ (excepta, ut supra, Romana), non præscribuntur nisi triginta annis.

Quantum ad mobilia privatorum, colligitur ex L. *sicut 3, c. de Præscrip. triginta vel quadraginta ann.*, lib. 7, tit. 39, ubi decernuntur triginta anni ad præscriptionem immobilium absque titulo, et cum nihil aliud sit jure sancitum pro mobilibus absque titulo, colligunt authores idem de utrisque censendum.

Quantum ad mobilia ecclesiarum, ratio est, quia, cum Ecclesiæ (excepta forte Romana, ut ante), non habeant privilegium pro mobilibus, eodem modo loquendum est de illis ac de mobilibus privatorum.

Dico 3º : Res immobiles privatorum cum titulo præscribuntur decem annis inter præsentes, viginti annis inter absentes. Ita *Inst. de usucap.*, § 4, et L. *Gum longi*, c. *de*

Præscrip. longi temporis. Absque titulo autem, sive inter præsentes, sive inter absentes, requiruntur triginta anni, L. *Sicut in rem et L. Si quis, c. de Præscript triginta vel quadraginta ann.*

Præsentes censemur, jure Romano, qui habitant in eodem territorio, v. g., Leodiensi, etiamsi res alibi sint sitæ. Absentes, e contra, qui habitant in diversis territoriis. In Gallia præsentes dicuntur qui sunt sub unius ballivii vel senescalli jurisdictione. Sed, quia is contra quem præscribitur respective ad præscribentem potest esse partim præsens, partim absens, notant communiter authores duos annos absentiae computandos esse pro uno præsentia; ita ut qui possedit quinquennio inter præsentes, si rei dominus absit in posterum, præscribens debeat iterum possidere decennio, antequam præscriptionem perficiat.

Dico 4º : Ad præscribenda immobilia contra Ecclesiam Romanam, sive cum titulo, sive sine titulo, sive inter præsentes, sive inter absentes, requiruntur centum anni, L. cit. *Quas actiones*; contra alias ecclesiæ, monasteria, hospitalia, causas pias, quadraginta anni. Ibidem, contra monasteria Ordinis S. Benedicti et aliorum Ordinum qui hujusmodi privilegiis communicant, sexaginta anni, ex privilegio Eugenii IV.

Hæ sunt regulæ communes, a quibus tamen fiunt plures exceptiones. Præcipuas pono. Excipitur 1º pupillus, contra quem, quamdiu est in ætate pupillari, nulla procedit præscriptio, sive mobilium, sive immobilium, L. *Sicut in rem, c. de Præscript. triginta ann.* Si vero sit minor, requiruntur triginta anni, L. *ultima*, c. *In quibus causis*.

2º Qui pacifice absque simoniae ingressu possidet triennio beneficium, præscribit contra actionem cuiusvis impetratoris. Reg. 33^a Cancellarie.

3º Actio injuriarum expirat lapsu unius anni, L. *Si non convicii, c. de Injuriis*. Plures alias exceptiones require in majori nostro Opere.

Potes 4º an et quanto tempore præscribat qui rem bona fide accepit a possessore malæ fidei.

Resp. 4º. Hæres immediatus possessoris malæ fidei non potest ullo tempore præscribere. Ita Sylvester et communiter. Patet ex § *Diutina, Instit. de usucap.*, ubi dicitur : « Si ille [defunctus] initium justum non habuit, hæredi et bonorum possessori, licet ignorantis, possessio non prodet. » Idem L. *ultima*, c. *Communia*. Ratio est, quia hæres immediatus ex fictione juris censemur una eademque persona cum defuncto, et eorum possessio una eademque continuata possessio; sive ex ista fictione hæres immediatus censemur mala fide possidere, sicut ipse defunctus.

Resp. 2º. Hæres mediatus, item qui a possessore malæ fidei immediate quidem accepit, sed alio titulo quam haereditatis, puta legato, emptione, donatione inter vivos, etiam si res mobilis sit furtiva, et immobilis vi possessa, potest præscribere.

Ratio est, quia jura duas fictiones ex eadem causa non admittunt, et ideo fictio illa juris de mala fide hæredis immediati non transit ad secundum hæredem, nec censemur eadem cum defuncto persona. Quod a fortiori est dicendum de legatario, emptore, donatario, etc., qui defuncti personam nullatenus representant, et quibus ideo non nocet vitium authoris, ut jura expresse statuant, L. *An vitium*, ff *De diversis temporalibus Præscript.*

Resp. 3º. Res bona fide acceptæ a possessore malæ fidei, quatenus præscribi possunt, regulariter præscribuntur tempore ordinario. Ita communiter ex L. cit. *An vitium*.

Dixi, « regulariter », quia excipitur 1º si res sit immobilis, et is contra quem præscribitur ignorat eam ab alio possideri; 2º si res sit furtiva aut vi possessa; in utroque enim easu requiruntur triginta anni. Quoad primum casum, patet ex *Authentica Malæ fidei*, c. *de longi temporis Præscriptione*. Quoad secundum, patet ex § *Furtivæ, Instit. de usucap.* Quod autem in jure dicatur res furtivas non posse præscribi, intelligitur de præscriptione temporis ordinarii, non de præscriptione temporis extraordinarii, L. *An vitium*, c. *de diversis temporalibus Præscript.*; item expresse L. *Super 1*, c. *de annali exceptione*, § *Ad hæc l. 7, tit. 40.*

Potes 2º quæ non possunt præscribi.

Resp. 1º Ea præscribi non possunt, quæ non possunt proprio nomine et legitime possideri, ut jura ecclesiastica a laico, feudum a feudatario, etc. Vide de possessione.

2º Contra jus naturale aut divinum non procedit præcriptio, quia in ea nihil valet potestas humana, a qua pendet præscriptio.

3º Præscribi non possunt quæ sunt usibus publicis deputata, ut viæ publicæ, plateæ, pontes, L. *Usucaptionem*, ff *De usucap.*

4º Non potest præscribi homo liber, ut fiat servus, L. *ultima*, c. *De longi temporis præscript.*

5º Limites certi provinciarum, episcopatum et parœciarum non possunt præscribi; secus, si sint incerti, ex cap. *Dilectio*, causa 16, q. 3.

Notat hic Perfector Tournely, jure Gallico nulla temporis possessione præscribi servitudes prædiales sine titulo, jura publici furni et mole, et res fiscales, seu quæ semel sunt incorporata fisco; secus, si nondum sint incorporata.

Notandum insuper quod plura jure Romano dicantur non posse præscribi, quia non præscribuntur tempore ordinario, licet possint præscribi tempore extraordinario triginta annorum et supra. Sic sunt res furtivæ, ut jam notavi; item res fisci, fidei-commissa, legata, fundus dotalis, majoratus, bona adventitia, etc., L. *Sicut*, c. *De annali except.*, lib. 7, tit. 4; L. *Sicut in rem*; L. *Omnes*, c. *de Præscript. triginta vel quadraginta ann.*, lib. 7, tit. 39, de præscriptione consuetudinis contra legem humanam. Vide de *Legibus*.

[*Nota*: 1º Tempus ad præscriptionem requisitum non ab hora ad horam, sed a die ad diem computandum est, nec prius fit valida præscriptio, quam ultimus dies totaliter effluxerit¹. — 2º Ad complendam possessionem, potest

1. Cod. civ. Gall., art. 2260 et 2261.

possessor actualis propriæ sue possessioni adjungere possessionem sui authoris seu antecessoris, quocumque titulo huic successerit¹.

Secundum jus Romanum determinatum fuerat fere ubique tempus ad quamecumque præscriptionem requisitam. Cum vero jura particularia fuerint antiquata, juvabit hic interserere dispositiones legales hodie vigentes apud diversas Europæanas gentes.

I. *Ex jure Gallico*² dantur præscriptiones sequentes : 1º Præscriptio triginta annorum, qua longior non admittitur. Est universalissima; omnes enim actiones, sive reales sive personales, etiam personarum moralium, post triginta annos extinguntur, quin defectus tituli vel bonæ fidei opponi possit. Possessio tamen debet esse legitima in foro conscientiæ, sensu quo supra diximus. — 2º Præscriptio decem vel viginti annorum, qua præscribuntur bona immobilia, cum titulo tamen et bona fide. Decem anni requiruntur et sufficiunt, si ille contra quem præscribitur sit præsens, id est, si habitat in territorio Curiæ appellationis in quo situm est bonum immobile. Requiruntur autem viginti anni, si sit absens, vel pro rata, si fuerit partim præsens et partim absens. — 3º Præscriptio trium annorum, quæ cum bona fide sufficit, in omni casu, ad bonum mobile acquirendum.

Addunt aliqui, præscriptionem instantaneam, qua scilicet res mobiles, non furtivæ, nec amissæ, statim post traditionem legitime a possessore bonæ fidei possidentur et acquiruntur; quia pro mobilibus possessio est instar tituli, et quia lex non concedit spatium trium annorum, nisi ad repetendam rem furtivam vel amissam. An hæc in conscientia valeant, disputatur utrinque probabiliter, etsi communius affirmetur. Quare, in hoc casu, non potest possessor bonæ fidei ad restitutionem adstringi.

II. *Ex jure Italico*³. Præscriptio decem annorum valet etiam inter absentes. Biennum, loco triennii, conceditur

1. Ibid., 2235. — 2. Ibid., art. 2260 seqq. — 3. Cod. Ital., art. 133 seqq.

ad repetendam rem furatam vel amissam. — Cætera juri Gallico concordant.

III. *Ex jure Austriaco*¹. *Tempus ordinarium* : 1º Quoad res mobiles usucapiendas, est triennium. 2º Quoad res immobiles et servitudes prædiales, item triennium, si sint in publicis tabulis nomine possessoris usucipientis inscriptæ; secus, triginta anni. — *Tempus extraordinarium* : 1º Contra fiscum, ecclesiæ et alias communitates quæ jure corporationis gaudent, loco triennii requiritur sexennium, et loco triginta annorum, spatium quadraginta annorum; 2º contra absentem voluntarie (at sine culpa), a provincia ubi res sita est, annus absentiae computatur pro semestri; 3º immediate sibi comparanti rem mobilem a possessore vitioso aut malæ fidei, aut non valenti indicare suum authorem, duplicatur spatium temporis ordinarii.

IV. *Ex jure Borussico*². *Tempus ordinarium* : 1º Quoad bona privatorum, sive immobilia sive mobilia, cum titulo possessa, est decem annorum inter præsentes. Inter absentes, unusquisque annus absentiae duplicatur. 2º Quoad res sine titulo, bona tamen fide possessas, est triginta annorum. Nec duplicatur spatium temporis in favorem absentium. — *Tempus extraordinarium* : 1º contra personas morales jure corporationis gaudentes, requiruntur, loco decennii, viginti anni, et loco triginta annorum, quadraginta quatuor anni. 2º Res furtive vel raptæ non præscribuntur a primo possessore bonæ fidei, nisi post quadraginta annos. — Porro, ut jus per præscriptionem ordinariam acquiratur, necesse est ut exerceatur semel saltem in anno; secus, requiruntur quadraginta anni, et jus saltem ter in hoc spatio exercitum.

Potes quomodo interrupatur vel suspendatur præscriptio.

Resp. 1º Interrupitur, ita ut de novo inchoari debeat, vel naturaliter, si prescribens amittat possessionem, sci-

1. Cod. Austriac., art. 1465-1478. — 2. Cod. Boruss., I, 9, 620-656.

licet naturalem, aut si ipsi mala fides superveniat; vel civiliter, si lis circa rem moveatur, nisi movens id faciat injuste ad præscriptionem interrumpendam¹. Non interrumpitur autem, si res possessa ab uno in alium transferatur, v. g., emptione, donatione, etc.

2º Suspenditur seu dormit præscriptio, quando impedimentum ei objicitur ne procedat ulterius, ita tamen ut, remoto impedimento, perget sine alio detimento quam temporis dormitionis. Quod accidit dupli modo : 1º Quando judicia exerceri nequeunt, v. g., tempore belli aut pestis, in certis regnis². 2º Quando is contra quem præscribitur, jus suum prosequi non valet. Sic contra interdictos, contra ecclesiam carentem rectore non currit præscriptio. Ita ex jure Romano; aliter tamen ex legibus modernis³.

Nota. Non obstante legitima præscriptione, conceditur quandoque, v. g. minoribus per quatuor annos post majorenitatem, beneficium restitutionis in integrum, id est rescissio præscriptionis a judge pronuntianda⁴.

De præscriptione liberativa.

Apud authores, præsertim modernos, distinguitur, respectu liberationis : 1º Præscriptio *longissimi temporis*, seu triginta annorum, cui generatim subjiciuntur omnes actiones, sive reales sive personales⁵. Sic extinguitur ususfructus, quando ille qui jus habebat, eo non uitit per triginta annos. Sic etiam extingui possunt census, non solum quoad redditus annuos, sed etiam quoad ipsum jus seu capitale. In Austria tamen quadraginta anni, et in Borussia quadraginta quatuor anni requiruntur contra fiscum et corporationes⁶. — 2º Præscriptio *longi temporis*, seu decem annorum, qua extinguuntur actiones in nullitatem vel recessionem contractus, quando lex termi-

1. S. Lig., lib. IV, n° 514. — 2. Cod. Austriac., art. 1496. — 3. Cod. Gall., art. 2251-2259; Ital., art. 2145; Boruss., I, 9, § 529. — 4. Cod. Gall., art. 2252. — 5. Ibid., art. 2262. — 6. Cod. Austriac., art. 1472; Boruss., I, 9, § 632.

num breviorem non constituit¹. — 3º Præscriptiones *brevis temporis*, seu quinque annorum, quæ respiciunt summas solvendas periodice per modum fructuum civilium². — 4º Præscriptiones *brevissimi temporis*, v. g. duorum annorum pro stipendiis procuratorum, causa finita; unius anni pro stipendiis medicorum, famulorum, mercatorum, etc.; sex mensium pro stipendiis operariorum, hospitum³, etc. — Jam vero

1º Præscriptiones longissimi et longi temporis valent in conscientia, dummodo bona fides toto tempore perseveraverit. Ita communiter, ex rationibus pro præscriptione in genere allatis⁴.

Hinc : 1º Si tuus vel tui patris creditor, post annos trigesima, obligationem quæ te intra illud tempus latebat, aut quam extinctam esse opinabaris, a te repetit, ad nihil teneris. 2º In Gallia, si donationem accepisti, et si post decennium donator eam vult rescindere, v. g., ob vitium formæ in instrumento donationis, nihil in te valebit.

2º Præscriptiones brevissimi temporis non valent in conscientia, nec constituant nisi præsumptionem factæ solutionis, ut omnes fatentur. Ratio est quia ex ipsis legibus constat, legislatores non habuisse intentionem transferendi dominium, sed solum negandi actionem in foro externo, ne justitiæ administratio nimis difficilis redderetur⁵. In his igitur casibus « debitor qui certus est solutionem non esse factam, minime ab obligatione solutionis eximitur⁶. » Secus, si transacto tempore a lege assignato incipit dubitare, v. g., an author suus solverit; quia tunc uti potest præsumptione juris, nisi omissio solutionis probetur.

Ad præscriptiones brevis temporis quod attinet, dubitatur an hæc in conscientia valeant; nam inter authores ali

1. Cod. Gall., art. 1304, 1676, 2270. — 2. Cod. Gall., art. 2276, 2277; Ital., art. 2144. — 3. Cod. Gall., art. 2271 seqq. — 4. S. Lig., lib. IV, n. 517. — 5. Ibid., n. 516; Homo Ap., X, 12. — 6. Ibid.

eas valere affirmant et alii negant. In hoc igitur dubio valet effatum : « In ambiguis beatus qui possidet, » nisi debitum non solutum fuisse rite probetur; præsumptio enim cedit veritati.

Nota. Missarum onera, legata pia, dotes vel eleemosynæ distribuendæ, etc., non præscribuntur ne immemorabili quidem consuetudine contraria, ut declaravit S. Cong. Concilii, 13 aug. 1845.

Cæterum, pro conscientia, præscriptio bonorum Ecclesiæ non legibus civilibus subjacet, sed regulis juris canonici, ut sciunt omnes¹.]

ARTICULUS III

Utrum præscriptio valeat in foro conscientiae?

Dico : Omnis præscriptio legitime facta valet in foro conscientiae, sic ut qui legitime præscripsit, si post præscriptionem completam deprehendat rem fuisse alienam, possit eam retinere ut suam, nec teneatur reddere in conscientia priori domino comparenti, sive hujus negligentia intercesserit, sive non ; sive res sit comparata titulo gratuito, vel oneroso.

Est nunc communis omnium ferme theologorum et juristarum, constanti juris tam civilis quam canonici praxi firmata.

Prob. 4º. Omnis præscriptio legitima transfert in conscientia præscribenti dominium rei præscriptæ, sive intercesserit negligentia prioris domini, sive non ; sive res fuerit comparata titulo oneroso, vel gratuito. Ergo valet in foro conscientiae, sic, etc. — *Prob. ant.* Præscriptio indistincte et indefinite definitur in jure : « *Acquisitio dominii per continuationem possessionis tempore lege definito.* » *Authent.* *Quas actiones, c. de sacrosanctis ecclesias.*

¹. *Marc, Instit. mor. Alphons.*, n. 897-901.

siis, lib. I, tit. 2. *Instit.* lib. 2, tit. 6, *De usucap. init.* L. 1, ff *De usucap.*, et alibi. Quam juris civilis dispositionem non solum reprobat, sed positive approbat jus canonicum, tum sua praxi, tum suis sanctionibus, cap. *Sanctorum*, *Decretal.*, *De Præscript.*, lib. II, tit. 26; cap. *De quarta*, ibid.; cap. *Ad aures*, ibid.; cap. *Quoniam finali*, ibid. et alibi. Ergo omnis præscriptio legitima transfert dominium, etc.

Prob. 2º. Negari non potest quin princeps aut res publica possit, si velit, ob bonum commune, transferre dominia privatorum ab uno ad alium independenter a negligentia domini. Atqui id voluit in præscriptione, ita exigente bono communi. Ergo. — *Prob. min.* Et quidem quod voluerit, patet ex juribus citatis et pluribus aliis. Quod voluerit justis de causis in bonum commune, ostenditur istarum causarum expositione. Prima est : « *Ne diu et fere semper quarumdam rerum dominia incerta essent,* » L. 1, ff *de usurpat. et usucap.*; lib. 41, tit. 3. « *Et ut aliquis litium finis esset,* » L. *Ultima*, ff *pro suo*, lib. *ead.*, tit. 10. Ac denique, « *ne possessores prope immortali timore teneantur,* » L. *Cum notissimi*, c. *de præscript. triginta vel quadraginta ann.*, lib. 7, tit. 39. Secunda causa est, ut acuatur negligentia dominorum res suas posequi prætermittentium, L. *Ut perfectius*, c. *De annali except.*, et cap. *Vigilanti*, *Decretal.*, *de Præscript.*

Ubi vides, primam et præcipuam causam esse independentem a negligentia dominorum, et quod procedat in foro conscientiae. Si enim in eo non valeret præscriptio, remanerent semper incerta dominia, et eo magis quo diutius possiderentur, cum diuturnitate temporis veri tituli facilis amittantur et falsi fabricentur. Non erit finis litium et rixarum saltem privatarum in familiis, dum unus clam aut vi rem suam rapere, alter defendere contendet, et possessores immortali timore ac perpetuis conscientiae scrupulis tenebuntur. Ergo.

Confirm. 4º authoritate. Cap. *Sanctorum* cit. *Decretal.*, *de Præscript.* dicitur : « *Sanctorum Patrum sanctiones statuisse* » ut bona præcripta « *quiete et sincere perpetuo*.

teneantur. » Atqui, si præscriptio non valeret in foro conscientiæ, sed remaneret obligatio restituendi, possessores non « quieti et perpetuo, » sed anxiis semper remanebunt. Ergo.

[*Confirm.* 2º hac altera ratione. Præscriptio secundum leges acquisita valet in foro conscientiæ, si non repugnet æquitati. Atqui talis præscriptio æquitati non repugnat. Ergo. — Prob. min. Ut judicetur de legis æquitate, consideranda est lex, non quoad privatos, sed in se, ante quemlibet eventum. Atqui lex præscriptionem statuens sic considerata, nullimode laedit æquitatem; quia tunc par est pro quolibet privato spes lucri et damni: unde sane potuissent privati inter se juste decernere quod dominium acquireretur vel obligationes extinguenterentur per diuturnam possessionem. Quod autem potuissent privati in hac materia, authoritas publica a fortiori potuit id juste facere propter bonum commune. Ergo.]

Dices: 23ª Regula juris, in 6º, sic habet: « Sine sua culpa nemo re sua privandus est. »

Resp. legem non referri integre; sic enim habet: « Sine sua culpa, nisi subsit causa, non est aliquis res sua privandus. » Subest multiplex causa præscriptionis, ut probatum est.

DISSERTATIO IV DE JUSTITIA

D. Thomas, q. 58.

Justitia sumitur dupliciter: 1º Generaliter pro sanctitate christiana seu pro collectione omnium virtutum, quo sensu dicebat Christus, Matth., v, 20: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Phariseorum*, etc. 2º Sumitur specialiter pro virtute particulari, quæ est

secunda inter Cardinales, qua quis inclinatur ad reddendum unicuique quod suum est, et de illa hic agitur.

ARTICULUS I

De definitione, objecto et subjecto justitiae.

Dico 1º: Justitia definitur in jure, ex Ulpiano: « Constant et perpetua voluntas jus suum cuique tribuens. »

Per voluntatem non intelligitur ipsa potentia volendi, sed actus¹; unde definitur habitus per actum: quod non est insolitus. Dicitur « perpetua, » non ex parte actus qui perpetuo duret, sed ex parte objecti, quatenus justus vult reddere perpetuo et in omnibus cuique jus suum: unde, si quis velit hanc definitionem ad debitam formam reducere, dicat quod justitia sit « virtus inclinans constanter voluntatem ad perpetuo reddendum unicuique jus suum. » Hinc habes, esse de ratione justitiae propriæ dictæ quod sit ad alterum.

Dico 2º: Objectum materiale remotum justitiae sunt res exteriores quæ commutantur aut distribuuntur. Materiale proximum sunt actiones quibus haec res commutantur et distribuuntur. Quia justitia in hoc differt ab aliis virtutibus moralibus, quod haec rectificant primario et per se hominem in seipso, justitia vero in ordine ad alium². Atqui ordinatio unius hominis ad alium non attenditur secundum interiores affectiones seu passiones, sed secundum exteriores actiones et res quibus homines sibi invicem communicare possunt, ut sunt, quoad res, bona fortunæ, pecuniae, domus, agri, frumenta, etc.; quoad actiones, eæ quibus istæ res commutantur, nimis venditio, solutio, mutuum, commodatum, locatio, etc.; item etiam eæ actiones in quibus nulla intervenit res exterior, ut honoratio, laudatio, detractio, etc. Ergo.

1. Hic q. 58, a. 1, ad 1, 3 et 4. — 2. Ibid., a. 9 et 10, o.